

fecit, huic defectui voluit mederi in suis *Institutis*. *Logic.* cap. IX. ubi omnia Syllogismorum hypotheticorum genera abs se proposita esse ait. Ibi verò pag. 37. sqq. docet, alios Syllogismos (qui à Categoricalis sint diversi) esse vel omninò hypotheticos, in quibus utraque propositio & conclusio quoque hypothetica est: alios verò ex maiore hypothetica & minore categorica concludere conclusionem; qui tamen nihilominus rectè vocentur hypothetici, quia probationis vis non in propositione categorica, sed in hypothetica consistit. Mox Syllogismum hypotheticum dicit esse vel secundum transumptionem, κατὰ μεταλήψιν, cum idem terminus, qui hypotheticè fuit positus in Maiore propositione, ponitur categoricè in Minore. Ac tales dicit esse vel conditionales, vel alternos h. e. disjunctivos, quibus tandem copulativos addit. Vel secundum assumptionem, κατὰ πρόσληψιν, qui sunt per aliquam comparisonem in aliqua qualitate, id est in aliquo accidente & novum terminum in Minore assumunt, qui non fuit positus in Maiore. Eadem repetit in *Commentar. Analyt. in I. Prior.* XXIX. p. 177.

XV. Instituti nostri ratio non patitur hæc omnia ad vivum rescare, interim ex paucis illis patet, doctissimum Pacium longè aliter Syllogismum κατὰ μεταλήψιν considerasse, quàm ab Aristotele fuit factum. Quà in re Philoponum voluit imitari, qui appellationem syllogismi κατὰ μεταλήψιν ex Aristotele quidem desumpsit, aliò tamen modò, quàm à Philosopho factum erat, adhibuit, ceu notat Höpffnerus *Commentar. in II. Prior.* p. 642. Patet etiam, Pacium per Syllogismos ἐξ ὑποθέσεως intellexisse Syllogismos conjunctos & compositos, quales sunt Conditionales & Disjunctivi, quatenus illi Syllogismis simplicibus contradistinguuntur, de quibus tamen Aristoteli sermo non est, quando in *Analyticis Syllogismorum* ἐξ ὑποθέσεως mentionem facit. Quod reliqua attinet, quæ apud Pacium *Comment. in I. Prior.* XXIII. p. 154. habentur, ubi dicit Syllogismos hypotheticos secundum Aristotelem non esse veros Syllogismos, sed tantum hypotheses; ac proinde eas non reduci ad aliquam trium figurarum, item Aristote-

lem